

1491

C O D I C E S

1492

Codicem ambit Membrana continens inhibitionem et citationem factam a *Nicolao Ep. Ferrentino S. Palat. Apost. caussarum Auditore*, impetrante *Joanne Ep. Luthomisl. ad Ecclesiam Pragens. capitulariter postulato*, aduersus *Sbinconem*, qui se gerit pro *Archiepiscopo Prag.* et datam *Romae apud S. Petrum anno 1404. indiēt. 12. die Ven. 16. m. Maji, Pontificatus Bonifacii IX. anno 15.* Cum nominibus Testium et Notarii *Conradi de Helderunge*, lectamque *Pragae die 9. m. Julii.* Item cum nominibus Testium et Notarii *Matthiae quondam Duchonis de Sladna.* De qua Lite apud Scriptores *Bobemos*, quos quidem volvi, nihil inveni.

CCCCI.

882 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. f. per duas columnas probe descriptus, et rubricis enotatus Exemplar est alterum *Sermonum Johannis Wiclefi de Sanctis*, ita decurrens, ut illud *Cod. praeced.* initio ducto a *Natali Domini* in illud: *Exiit edictum a cesare Augusto &c. Lucae 2.* et *Sermone auspicante: Continuando sermones sanctorum cum sermonibus dominicis &c.* Ad calcem legitur: *Expliciunt euangelia de sanctis*, et continenter *fol. 142. p. 2.* adjunguntur, ut *Cod. cit. XXIV.* illi *Sermones mixti*, quorum primus in illud: *Caro mea vere est cibus &c. Job. 16.* incipit: *Hoc euangelium aludit fundacioni sanctissimi sacra-*

menti eukaristie &c. Nullibi Auctoris nomen.

Duobus locis Codicis occurrit *Μονογαμμα* e literis *H. G. P.* implexum liquore purpureo, cui additur: *Vidi 1530.* Thecae item posticae mandatum est *Απογραφον* Testimonii, quo *Hinco* (*Henricus*) dictus *Berka de Duba Purgrauus Pragensis et Hinco senior filius ipsius* recognoscunt: *Johannem Portulanum Portae superioris castri Pragensis*, quod uocatur in *Hradczanie*, sanum mente et corpore *Portulaniam suam cum omnibus Juribus, Pertinencijs ac utilitatibus suis rite et rationabili vendicionis titulo vendidisse Andreae genero suo pro certa summa pecunie.* Id, quod ratum habent et confirmant. *Datum prage anno domini M. CCCXLVII. in octaua festi Ephisanie domini.* En *Portulani* nomen non solum a *Portu*, aut *Portando* derivari, ut *Cangio* et *Carpentario* visum, sed etiam a *Porta*, unde *Portulanus* idem, quod modernis linguis *Pfortner*, *Portiere*, *Portier*, *Porter*, et eadem formatione, qua *Castellanus*.

CCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 904 XV. Folior. 236. 4. non una manu conscriptus, rubricis distinctus et ad *Bobemiam* pertinens haec complectitur: *I. Job. Wiclefi Dialogum*, qui infit: *Cum idemptitas sit mater fastidij &c.* ut saepe alias. Ad calcem aperte: *Explicit*

1493

P O L E M I C I.

1494

Explicit dyalogus editus a reuerendo Magistro Johanne de wyklef sacre Theologie professore doctorisque ewangelici anglicana natione &c. cum declaratione Argumenti hujus Opusculi.

II. fol. 27. sequitur Eiusdem Tractatus de Simonia, hoc initio: *Sententia tractatus de symonia capitulariter sic habetur &c. ut alias.*

III. fol. 75. De noua, ut in calce, *preuaricancia mandatorum.* Incipit: *Cum secundum veritatis testimonium Matth. 19. ad ingressum in patriam &c. ut alias.*

IV. fol. 83. Breviuscula quaedam: 1.) *Epistola ad simplices Sacerdotes. Videtur meritorium &c.* 2.) *Conclusio de officio Regis. Rex debet ex vi sui officij &c.* 3.) *Quatuor interpretaciones. Quod clerus regni Anglie &c.* 4.) *De Fundatore Religionis. Saluator noster diligens &c. ut Codd. pluribus. Mireris sane Hominum in describendis his minutiis religiosam solertiam.*

V. fol. 87. absque inscriptione Tractatus de Corpore Christi, qui incipit: *Visum est non esse inutile, quod quidam tractatus de non remanencia ipsarum substantiarum panis et vini &c. et est Stanislai de Znomya, ut jam indicatum Codd. DXC. et aliis.*

VI. fol. 115. p. 2. Articuli 3. contra *Job. Hussum* oblato *Sbinconi* Archiepiscopo *Prag.* cum *Hussi* ad eos Responsis. Initium: *Reuerendissime pater. Ad instantes preces &c. ut Cod. CCLI.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

VII. fol. 123. Opusculum de divina Praedestinatione absque titulo, quod inchoat: *Uenerabili in christo patri et domino, domino N. regis eterni gratia Episcopo Reatino frater felicianus ordinis fratrum predicatorum &c.* En quomodo Codices mutuo sibi opitulentur. Noster Episcopi nomen reticet, Editio s. l. anni 1495. qua usus est *Quetifus* in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 881.* *Jacobum Beatinum* offert, unde *Quetifus* frustra quaesito Episcopatu *Beatino* ad otiosiores et Geographiae ecclesiasticae peritiores ablegat. Scribe Episcopum *Reatinum* et habebis *Jacobum Paganum*, qui Sedem *Reatinam* in Ducatu *Spoletano*, teste *Vghellio* T. I. p. 1207. ab an. 1299. ad an. 1301. tenuit, quod et aetatem, et aliquatenus patriam *Feliciani*, de quibus haerebat *Quetifus*, innuit. Sunt et aliae Opusculi hujus editiones antiquae tres, quae annum dissimulant, quarum una perperam *Cecilianum* pro *Feliciano* praefere dicitur, altera, ita quidem referente *Maittairio* in *Append. T. V.* in titulo et typographo peccat, *Praedestinationem* in *Praedicationem* et *Albertum Kunne* in *Kanne* mutando. Autor Capitibus VII. *Thomae Aquinatis* doctrinam sequitur.

VIII. fol. 137. p. 2. *Vtrum christus omnem sanguinem, qui de corpore suo effluxit, in eodem corpore hora resurrectionis glorificauit.* Tractatus *Job. Hufs* impressus T. I. Opp. 1715. p. 191. f.

T

et

1495

C O D I C E S

1496

et a nobis *Cod. CCCCXXI.* et deinceps pluries relatus, hoc initio: *Noto, quod christum sanguinem, qui de corpore suo effluxit &c.*

IX. fol. 159. absque Inscriptioe Ejusdem Tractatus de Corpore Christi, qui incipit: *Impugnantibus verba ewangelij et ignorantibus &c.* et in edit. cit. p. 202. sequitur, a nobis *Cod. DCLXII.* indicatus.

X. fol. 166. p. 2. absque Inscriptioe Expositio 4. notorum Sensuum S. Scripturae additis exemplis, et modo, quo iis Praedicator uti debeat. Initium est: *Historicus est sensus primo indicans historiam rei geste &c.* Sub finem Vocabula *Historicus, Allegoricus, Tropologicus* et *Anagogicus* eleganter bohemicè redduntur, et additur: *Si quis nescit ex abrupto sic vulgariter predicando exprimere, exprimat latine propter literatos, si in sermone fuerint, et vulgo dicatur circumlocutione, prout poterit plenius explicare.* In praevio Indiculo haec *Job. Husso* tribuuntur. Credo, cum et praecedentia et subsequa illius sint. Adhaerent hic *Canones* quidam et *Textus PP.* contra *Simoniam*.

XI. fol. 171. ut e calce: *Anno domini M^o. CCCC^o. VII^o. sermo Synodalis reuerendi magistri Johannis de Hussynecz dicti Hus.* In illud: *State succincti lumbos vestros &c. Ephes. 6.* Ita recte; non autem *ad Rom. XIII.* et *Ephes. 4.* ut habet editio *supra cit.* T. II. p. 47. Initium: *Cum*

triplex turba christiani exercitus sequendo ducem suum &c. Vide et *Indicem.*

XII. fol. 183. absque Titulo de publica Cleri Correctione. Initium: *Circa preparacionem ewangelij de qua dictum est &c.* Extat edit. cit. T. I. p. 185. Vide et *Indicem.*

XIII. fol. 192. Epistola *Luciferi* jam pluries relata, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum dictus dux berebi &c.*

XIV. fol. 193. Breviuscula quaedam de *Religione Christi et Religione priuata*, item de *Regula Humilitatis*, quae e *Scriptis Wiclefi* deprompta videntur.

XV. fol. 195. Opusculum Physiologicum absque titulo, quod incipit: *Interrogasti me, honoret te deus, de differentia spiritus et anime, ut scribam tibi, que dixerunt antiqui in ea. Ecce scribo tibi quedam collectiua, que exscripta a libro platonis qui dicitur chadon (Phaedon) et eius libro qui vocatur thimeus, et ex libris Aristotelis philosophi et cleofrafi (Theophrasti) de anima, ex libro eciam galieni quem fecit de concordia quarundam sententiarum ypo-cratis gloriosissimique platonis et ex libro eiusdem galieni quem fecit in opere cyrurgie &c.* Ad regium quendam Ministrum directum videtur; vocat enim eum in operibus regis *valde sollicitum.* Expositis mox Spiritus vitalis primum, dein Animae natura et functionibus prima inter utrumque differentia statuitur: *quod spiritus est corpus, anima uero incorporea*

1497

P O L E M I C I.

1498

corporea et spiritus simpliciter comprehenditur a corpore, anima uero non potest comprehendendi, et spiritus, cum separatur a corpore, perit, opera uero anime pereunt a corpore, sed ipsa non perit in semetipsa &c. Ultima sunt: *et det tibi vitam eternam. Amen. An Arnaldi de Villanova, aut Raym. Lulli?*

XVI. fol. 204. p. 2. Sine Inscriptione *Joh. Wiclefi* Opusculum de VII. Donis Spiritus sancti, cujus initium: *Cum spiritus sit tertia persona &c.* ut alibi.

XVII. fol. 208. Quaestio: *Vtrum potestas clauium ecclesie extendit se ad remissionem pene et culpe.* Ad calcem legitur ventilata: *Per M. Pe. de Vgezd in vesperijs M. andree Brode.* In *Bob. docta Balbini* reperio P. I. p. 74. *Petrum de Vgezd* pro gradu examinatum fuisse a. 1392. Compactoris vitio Differtatio haec inferta est medio Tractatui praecedenti. Idem accidit sequenti Opusculo.

XVIII. fol. 209. p. 2. *Posicio Magistri Stephani Palecz. Vtrum de necessitate salutis sit hominem confiteri solis presbiteris omnia sua peccata tam mortalia quam venialia.* Tam de *Andrea de Broda*, quam de *Steph. Palecz* dictum est saepius, et haec utriusque Differtatio catholica est.

XIX. fol. 217. *Questiuncule*, ut in calce, *conscripte a magistro Stephano quondam vicario in spiritualibus domini Arnesti tunc autem canonico regulari in Rudnicz. B. Arnestus* Archiep. Prag. obiit a.

1364. *Collegium Raudnicense* vastatum est ab *Huffitis* a. 1421. *Quaestiunculae* nostrae *Casus Conscientiae* proponunt et resolvunt, utilissimae certe *Pastoribus* suo tempore. *Exempla* earum duo *ms.* excitat *Balbinus Bob. doctae* P. II. p. 172. Ineunt: *Statutum domini archiepiscopi sic dicit. Nul- lus presbiter parochianum alterius sine licentia proprii sacerdotis &c.*

XX. fol. 233. *Collectanea* levis momenti: *Pro Defunctis*, de *Confessione*, *Mirabilia de Corpore Christi*, deque illo *Loca* quorundam *Patrum*.

CCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 93¹
XV. Folior. 227. 4. non una manu perscriptus, et rubricis distinctus. *Wiclesica* continet frequentia: I. absque Titulo *Dialogum* saepius jam relatam, qui oritur: *Cum ydemptitas sit mater fastidij &c.* Ad calcem: *Explicit dyalogus editus a reuerendo magistro Jo. de Wy. sacre Theologie professore doctoreque ewangelico Nacionis anglicane.* In quo describit &c. Hic exhibetur brevis *Conspectus Operis* adjecto *Librarii Bobemi* nomine, quod a *Quodam* pie inepto extritum est.

II. fol. 24. *Sequuntur capitula abstracta per falsos fratres a dyalogo precedenti.* Item: *Sequitur Supplementum dyalogi.* Dedimus illud jam alias eodem modo inscriptum, et incipiens: *Sed demum arguunt recentius &c.* Ad calcem legitur: *Et sic est finis Supplementi*